346.K.24

19
153

IN FUNERE
PHILIPPI V.
CATHOLICI HISPANIARUM REGIS
ORATIO
HABITA IN PONTIFICIO QUIRINALI SACELLO
CUM EIDEM
VI. Kalendas Septembris parentaretur
AD SS. DOMINUM NOSTRUM
BENEDICTUM XIV.
PONT. MAX.

A MARCO ANTONIO MARCOLINI
LIBERIANÆ BASILICÆ CANONICO
ET AB INTIMO PONTIFICIO CUBICULO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA V. EMANUELE

ROMÆ MDCCXLVI.
EX TYPOGRAPHIA PALLADIS

EXCUDEBANT NICOLAUS, ET MARCUS PALEARINI.
Superiorum Facultate.

Digitized by Google

CATHOLICO HISPANIARUM REGI

FERDINANDO VI.

MARCUS ANTONIUS MARCOLINI
FELICITATEM.


DUM Tibi FERDINANDE REX POTENTISSIME, Orationem ſiſto, conſecroque, quam in Funere Optimi Regis, & Parentis tui PHILIPPI ad Pontificem Maximum, ad Cardinalium Collegium, cæteroſque Romanæ Aulæ Ordines habui, timerem peccare me in publica commoda, ſi Te in his præſertim auſpicatiſſimi Regni tui primordiis vel paululum detinerem, Nihil

Digitized by Google

enim modó tam vel grandius, vel glorioſius Europæ ſermonibus celebratur, quam tuus in Populis regendis amor, fortunandiſque liberalitas, & providentia. Quare cum ab ampliſſima, regiaque fortuna acceperis poſſe, & ab excellenti natura tua habueris velle humano Generi benefacere, gaude, atque utere iſto tuo præclaro, divinoque bono; dum Tibi interea Orbis univerſus & gratias agit, & plaudit.



Digitized by Google



QUOD Regum ampliſſimorum interitus in hoc ſanctiſſimo, auguſtiſſimoque Religionis domicilio, veteri more, atque inſtituto defleri publice ſoleat; ea, BEATISSIME PATER, potiſſima cauſa eſt, ut illorum virtuti, commemoratis inter Sacra beneficiis, quibus Rem Chriſtianam juverint, auxerint, amplificarint, debita laus tribuatur, indeque omnes Eccleſiæ Ordines, non tam ad eorum memoriam ſterili luctu, aut inani verborum præconio proſequendam, quam ad eoſdem ferventius Deo, impenſiuſque commendan-

Digitized by Google

dos, quo non aliud grati animi teſtimonium vita functis utilius, excitentur. Quamobrem in his hodie honoribus PHILIPPO V. Hiſpaniarum Catholico Regi optimo perſolvendis prætereunda mihi eſſe intelligo, quæ non ad ſingularem ejus pietatem, Religionemque pertineant; nec tametſi ad eum exornandum certatim civiles, bellicæque virtutes, atque omnia omnium generum ornamenta confluxerint, illis abripi patiar Orationem meam: Nec certe committam, ut, cum Ille pietatem, dum vixit, cæteris ſuis laudibus potiorem duxerit, & nunc fructum ejus uberrimum, & immortalem, ut ſperare fas eſt, receptus Beatorum Sedibus capiat, alio apud nos commendetur laudationis genere, quam quo Ipſe maxime velit; cum præſertim nulla ſit catholico Principe dignior laus, & ab hujus ſanctitate loci alienum prope videatur quidquid religioſum, aut cum religione conjunctum non ſit. Celebrent itaque alii, per me licet, ac magnopere prædicent PHILIPPI V. res fortiter, ac præclare geſtas; Ejuſque, ſive in gerendis, ſive in conficiendis bellis fortitudinem, in adeundis periculis alacritatem, in negotiis adminiſtrandis ſolertiam, in florentiſſima demum fortuna potentiam, opes, auctoritatem, conſilii vim, animi magnitudinem admirentur. Satis me tanti Viri memoriæ, ſatis dolori Tuo, ſatis expectationi, BENEDICTE Pontifex Maxime, facturum exiſtimo, ſi pium, ſi religioſum fuiſſe oſtendero uſque adeo, ut pares in hac laude habuerit

etiam

etiam ex privatis hominibus admodum paucos, & cum religioſiſſimis quibuſque Regibus comparandus videatur.

Atque ut materiam rerum dicendarum ampliſſimam ordinate peragam, & certis quaſi terminis circumſcribam, duo maxime ſunt, quantum ego arbitror, unde PHILIPPI pietatem æſtimare certo poſsimus: alterum, quod ad Hiſpaniæ Regnum, non incertis, timidiſque hominum conſiliis, ſed præcipua quadam Divini Numinis Providentia traductus fuerit: alterum, quod divinæ electioni in Regno adminiſtrando ita reſponderit, ut re ipſa Rex a Deo electus, & ad Hiſpaniæ felicitatem conſtitutus videri merito poſſet. Quæ duo ſi non magnifice magis, quam vere a me dicta videbuntur, promptiſſimum unicuique erit conſtituere, quam eximia Ille pietate ab ipſa adoleſcentia, ac deinde in reliqua vita fuiſſe putandus ſit, qui dominationem ampliſſimam, & qua nulla fortaſſe major in terris, Pietate promeruerit, Pietate geſſerit.

Et vero ſi humanæ dumtaxat rationes ſubducerentur, ſi expenderetur unice conditio rerum, ut tunc erant, ac temporum: Cui veniret unquam in mentem opinari, Andegavenſem Principem in Gallia natum, atque apud Ludovicum Avum, cui diuturna, ac graviſſima bella hactenus cum Hiſpanis fuerant, educatum, in tanta Gentis utriuſque æmulatione, ac tam aperto diſſidio, ad Hiſpaniarum Regnum aliquando evaſurum?

rum? Fuerit Ille quidem ex ea ſtyrpe progenitus, cujus tanta extitit ſemper non modo vis, atque potentia, ſed bello etiam, ac pace virtus, ut qui ex ea naſcuntur, Regnis vel regundis, vel acquirendis ipſa natura formati quodammodo videantur: Fuerit ſecundo Carolo affinitate, & ſanguine conjunctiſſimus: Fuerit præter hæc inſtitutus egregie ſub inſigni Præceptore Meldenſium Antiſtite, atque omnibus regnandi artibus mirum in modum inſtructus: Fuerint tandem in Illo omnes Rege dignæ virtutes Borboniæ Genti maxime familiares: Quid hæc ad Regni ſpem, quam adverſa quædam rerum omnium conſpiratio penitus præcidebat? Nam & Carolus, tametſi affecta valetudine, florebat ætate adhuc; & novis contractis nuptiis Familiam ab interitu ſervaturus videbatur; & nihilominus ſterili utens matrimonio, hæredem Regni ex Bojoariis acciverat. Gravia ſane hæc, & quæ humanis rationibus expediri haudquaquam poſſent. Itaque ſi paulo poſt Regius Hæres in ipſis incunabulis præmaturo funere extinguitur; ſi poſt longam, & inquietam deliberationem Carolus novum ſibi Succeſſorem adſciſcit hunc ipſum, de quo loquimur, Andegavenſem Principem: Si demum ipſe, ſupremis tabulis vix confectis, ſine liberis moritur: cuinam id omne tribuendum, niſi præpotenti Numinis voluntati, quæ cum in humanis rebus omnibus dominatur, tum vero in hoc tam difficili, impeditoque negotio viſa eſt optimi Principis inſignem pietatem remunerari,

nerari, & Religioſiſſimæ Nationis felicitati conſulere voluiſſe?

Leviora hæc tamen, ſi cum iis, quæ Caroli Secundi mortem conſecuta ſunt, comparentur. Scis profecto, Beatissime Pater, quam prope factum ſit, ut PHILIPPUS jam Hiſpaniæ Rex ſalutatus, & ad cernendam Regni hæreditatem profectus, vi inde & armis deturbaretur. Scis quot ſimul Gentes armorum inter ſe ſocietatem coierint adverſus Eum, quantamque belli molem prope imparato intulerint. Nec vero eſt cur illius temporis clades, direptiones, incendia, quantoque mortalium ſanguine, & quam varia, ancipitique fortuna pugnatum diu ſit, denuo in memoriam revocemus. Unum dico, ſi obſtinaſſent animi bellum trahere donec lis ferro decerneretur, neſcire me quouſque progreſſurum eſſet ferale bellum, quamque in partem fortuna belli eſſet ad extremum inclinatura; Attritis enim ſuperioribus præliis Hiſpaniæ Viribus, Amicorum opibus ex magna parte diſtractis, potentiſſimo exercitu cum infeſtis ſignis jam intra Regni fines recepto, ſciſſis in contraria ſtudia Populis, nondum ſatis firmata Imperii vi; Quis certo conſequi poſſit, quem tandem exitum eſſet ea contentio habitura? In hanc ſcilicet tam periculoſam, & ancipitem aleam adduci rerum ſummam oportuit, ut appareret, ſolo Dei nutu compreſſam illam procellam, ac diſſipatam fuiſse. Nunquam enim aut uberius, aut clarius, quod ſcite admo-

nuit Gryſoſthomus, Dei poteſtas ſumma, quam in ſumma rerum deſperatione ſe explicat: *Ut ubi naturæ facultas deeſt, ibi potentia Conditoris effulgeat*. Et vero, cum maxime omnia ad perniciem inclinare videbantur, uno ex illis nec opinatis eventibus, quos imperitum Vulgus fortunæ jocos, nos certa Divini Numinis conſilia rectius appellamus, bellum illud teterrimum, ac ſempiternum momento reſedit: quodque magis mirere, rebus omnibus inter partes ex æquo & bono compoſitis, utrinque ab armis diſceſſum eſt. Sublato quippe in ipſo robore ætatis Joſepho Cæſare, Carolus frater in Germaniam ad Imperium evocatur, pax coaleſcit, Hiſpaniarum Regnum PHILIPPO relinquitur pacatiſſime poſſidendum. O magnam vim Numenve ſummi Rectoris, & Domini, per quem Reges regnant, Principes dominantur! Quis in hac tot eventuum tam mira, tam ſecunda, opportunaque conſenſione, certiſſimum divinæ voluntatis argumentum non videat?

Qua jam pietate fuiſſe putandum eſt eum Adoleſcentem, quem vix decem, & octo annos natum Deus Optimus Maximus tam apertis indiciis ad regnandum elegerit, totque disjectis moris, tot difficultatibus ſuperatis, in Regni tam opulenti poſſeſſionem immiſerit? Scio equidem fuiſſe olim in Hebræo populo Viros divinitus ad regnandum electos, quorum deinde vita vitiis inquinatiſſima, Reique publicæ exitialis inventa ſit. Verum an unus aliquis reperiri poſſit, qui quo tempore ele-

electus eſt, non ſupra reliquos pietatis laude eminuerit, neſcio: Et certe Saulem ipſum legimus, cum ſacro inunctus oleo, & regia dignitate inſignitus eſt, non modo probum, & innocentem fuiſſe, ſed ea etiam morum, & vitæ integritate: *Ut non eſſet vir de filiis Iſrael melior illo* [a]. Adeo in oculis ſummi Numinis ſola Pietas in pretio eſt, eaque una, ut ait Apoſtolus, ad omnia utilis invenitur.

Age vero. Qualem ſe deinceps PHILIPPUS in Regno adminiſtrando præſtiterit, atque utrum tam præclaris initiis reliqua conſenſerint, videamus. Principio id unum agere, id ſedulo, ac diligenter conari, ut in tanta rerum omnium jactatione, ac tumultu, publicæ incolumitati proſpiceret; Populos in fide contineret; rebellantes & factioſos partim metu compeſceret, partim benignitate emolliret; belli calamitates reficeret; tranquillitatem toto late Regno reſtitueret; Rem denique publicam miſerandum in modum afflictam, proſtratamque, denuo in ſplendorem, ac dignitatem priſtinam excitaret. Quas porro non adhibuit curas, cui pepercit aut labori, aut induſtriæ, ut hæc omnia quam celeriter, feliciterque conficeret? Conſcribendi erant maximi, ac potentiſſimi Exercitus? Conſcripſit. Arces operibus muniendæ? Munivit. Comparandæ Claſſes, inſtruendæ acies, gerenda bella? Comparavit, inſtruxit, geſſit. Atque hæc animi tam incredibili firmitate,

a Reg. lib. 1. Cap. 9.

ut nec labores refugeret, nec pericula formidaret, nec objectis quibuſcumque difficultatibus frangeretur. Quoties inediam, ſitimque patientiſſime tolerantem; quoties labores, & pericula cum gregariis militibus dividentem; quoties ſudore, & pulvere conſperſum; quoties inter confertiſſimos hoſtium globos ſtrenue dimicantem Hiſpani conſpexere! Quæ illi cum viderent, beatiſſimos enim vero ſe prædicabant, quibus ejus indolis Princeps contigiſſet, quamque ab initio præceperant ſpem felicitatis ſuæ, non impletam modo, ſed multis partibus ſuperatam fatebantur.

Quid vero poſtea, cum debellatum ubique eſt, & poſt turbida illa, ac procelloſa tempora, Regno tranquillitas reddita? Quid cum viderent bonas, & ingenuas artes, quæ diu temporum calamitate jacuerant, ejus induſtria erectas, fidem publicam quaſi poſtliminio revocatam, compreſſas hominum nefariorum libidines injectis frænis, Imperii majeſtatem ſanctioribus legibus vindicatam? Quid cum ante oculos haberent laxatam annonæ difficultatem, auctum, non tam novis Vectigalibus, quam Præfectorum fide, induſtriaque ærarium; urbibus olim florentiſſimis, & jam pene ad ſolitudinem Civium paucitate redactis, frequentiam reſtitutam; Mercimonia, nervos cujuſcumque Reipublicæ, amplificata; purgatas a latronibus vias; Maria a Pyratarum excurſionibus liberata? Quid inquam, cum hæc Hiſpani ſibi utilia, glorioſa Regi,

Na-

Nationi univerſæ optatiſſima, & communibus votis prope majora intuerentur? Quibus non inceſſiſſe lætitiis putandi ſunt? Erat omnium una vox, nunc demum apparere quid eſſet, quidve poſſet Hiſpania, cum Regnum illud opulentiſſimum Vir conſilii potens, Animo excelſus, ſalutis, ac dignitatis publicæ ſtudioſiſſimus obtineret. Nemo omnium fuit, qui non hunc Regem ad ejus Gentis felicitatem natum, factumque palam diceret, ac diſerte profiteretur.

Verum dum hæc ego commemoro, erit fortaſſe in hoc auguſto conſeſſu qui tacitus commonere me velit, ut de PHILIPPI pietate ſermonem inferam aliquando: quaſi vero aliud egerim hactenus, & ab inſtituto Orationis meæ longius aberraverim. Ita ne vero? At quam quæſo pietatem exquiritis? Regis ne, an PHILIPPI? Publicam, an privatam? Duo enim hæc ſunt, ut probe noſtis, in unoquoque Principe genera pietatis, non natura quidem, aut fine, ſed certe officiis, inſtitutiſque diſcreta. Ac de priori illa quidem ſatis mihi multa verba feciſſe videor, cum PHILIPPI Regis in tutando Regno providentiam, in adeundis pro ſalute publica periculis fortitudinem, in cuſtodienda legum Sanctitate vigilantiam, in afferenda denique populorum felicitate ſolertiam in medium attuli. His enim artibus Reges Deum Optimum Maximum ſibi demerentur præcipue, ad Eumque, cujus in Terris Perſonam, ac poteſtatem gerunt, quam proxime accedunt.

Quæ

Quæ ſi nondum ſatis eſſe videbuntur, adde Juſtitiam, comitatem, beneficentiam, Religionis vel tuendæ, vel amplificandæ ſtudium, aliaſque virtutes ejuſmodi, quibus Reipublicæ ſalus, atque felicitas continetur, quæque in PHILIPPO exornando ita certarunt, ut quæ ſupra cœteras eminuerit, conſtituere certo non poſſis. Quis enim Illo in coercendis ſceleribus aut ſeverior, aut firmior, qui non Reorum miſero ejulatu, & lacrymis, non Procerum deprecationibus, non ipſo cariſſimæ Conjugis interventu exorari unquam potuerit, ne Sontes pro modo culpæ plecteret, & in facinoroſos legibus ageret? Quis erga bonos, & ſtrenuos Cives clementior, aut liberalior? Cujus unquam Principis, quamdiu licuit, tanta facilitas in admiſſionibus? Cujus tam effuſa erga omne genus Hominum beneficentia? Solitus neminem a ſe triſtem dimittere, Ærarium ſæpe exhauſit, ut virtuti præmium, aut incitamentum præberet, ut inopes, pupillos, viduas, ærumnoſos omnes præſenti ope ſublevaret, ut Religionem in primis, qua nulla illi cura prior unquam, aut potior, quam latiſſime amplificaret.

Equidem ad Religionem quod attinet, cum mecum ipſe reputo, quibus Ille largitionibus ſplendorem Templorum, & Sacri Ordinis dignitatem provexerit, quantum pecuniæ numerum in alendis inter Americanos Evangelii Præconibus, quantum curarum in Barbarorum Nationibus ad Chriſtum adducendis impenderit, non tam id egiſſe

mihi

mihi videtur, ut regnaret Ipſe, quam ut in Hiſpanicis ubique ditionibus Chriſtus & Religio regnaret. Quo enim ſpectarunt illæ ſæpius in Africam magno ſumptu ſuſceptæ expeditiones, jam ad Oranum ex Maurorum manibus recipiendum, jam ad Septam munitiſſimam Arcem, diuturna obſidione liberandam? Quo illa in Californiam, in Thibetanum Regnum, in Marianas, aliaſque recens detectas ejus Oræ Inſulas, toties ſubmiſſa hominum, argentique ſubſidia, niſi ut latius ſpargeretur Divina Religio, & quocumque vis, atque gloria Hiſpani Nominis pervaſiſſet, eodem Divini Nominis cultus, & reverentia pervaderet? Atque hæc demum eſt Principis præcipua pietas, quæ in commune bonum effundit ſeſe, nec tam ad propriam illius felicitatem, quam ad publicam pertinet. Hæc qui faciat, eum Nos Regem vere pium, & inſigniter de chriſtiana Republica meritum exiſtimare debemus.

Quod ſi illam magis pietatem quæritis, quæ non tam Principis eſt, quam hominis, & privatis ut ita dicam virtutibus circumſcribitur, citius profecto me dies, quam verba deficiant, ſi exequi diligentius velim, quam ab omni flagitio Princeps innocentiſſimus abhorreret, ut animi cupiditates comprimeret, ut nulli ſeverius, rigidiuſque imperaret, quam ſibi, ut pronus ad omnia Religionis officia eſſet. Nihil illo modeſtius, nihil vel in ſumma fortuna temperantius. Nunc in pio ſeceſſu dies integros divinarum rerum commentationibus

tionibus tradere, nunc ſacris Eccleſiæ Religionibus intereſſe, nunc Chriſtiana participare Myſteria eo vultus, ac totius corporis habitu, qui intuentium oculos admiratione defigeret, animos pietatis ſtudio inflammaret. Quoties ab honeſtiſſimis etiam voluptatibus ſibi interdixit, ne ſenſim a ſeveriori virtute ad vitiorum blandimenta deflecteret! Quoties arbitrum conſcientiæ ſuæ, alioſque probos, & doctos Viros in conſilium adhibuit, ne quid contra quemquam minus recte, aut parum conſiderate ſtatueret! Quoties ad Romanos Pontifices, & ad Te ipſum Beatissime Pater, literas dedit, ſive ut eorum auctoritate, & reſponſis certas ſibi Religiones, quibus angebatur, eximeret, ſive ut in graviſſimis explicandis negotiis eum ſequeretur ducem, quem divinæ voluntatis interpretem eſſe non ignorabat!

Verum quid his ego ſuſius immoror fruſtra? Regnum denique, atque illam omnem potentiæ, & imperii magnitudinem (exemplo ante Ipſum raro, nec ſcio an imitatores poſt ipſum habituro) abdicavit, ne quid in tanta occaſione peccandi, quanta in ſumma poteſtate eſſe ſolet, de innocentia remitteret: Utque hanc, de qua dico, privatam pietatem ſecurius conſectaretur, privatus e tanto Rege fieri non dubitavit. Quid hic ego exequar totius Hiſpaniæ in illo tam inopinato Regis ſui conſilio complorationem, & luctum? quid mærorem publicum omnium ætatum, atque Ordinum? Quid lachrymas veluti in communi, atque acerbiſ-

ſima

ſima calamitate fuſas ? Singulis perinde affectis, ac ſi ſuaviſſimas naturæ neceſſitudines abrumpere, aut a ſuo quiſque Parente divelli cogerentur. Nihil tamen his infractus, aut de ſententia dimotus eſt Vir animo ſupra communem modum excelſo, ingentique: Utque jam nihil præter Deum, & cœleſtia ante oculos habens, tradita Ludovico filio Regni adminiſtratione, & rebus omnibus mira ſapientia compoſitis, perrexit quo ſe rapi divinitus ſentiebat.

At oh fallaces hominum cogitationes! Anno vixdum evoluto, cum maxime jucundiſſimum ſolitudinis, & otii ſui fructum capiebat, ecce tibi iterum ad Regni curas, ad negotia publica revocatur, imo, ut verius dicam, retrahitur vel invitus. Extincto enim in ipſo ætatis flore Ludovico, quæque cum Eo feliciter adoleſcebat rerum optimarum ſpe momento exciſa, non potuit PHILIPPUS non aſsentiri communibus Hiſpaniæ Votis, quibus denuo ad Imperium repoſcebatur; Qua in re, ſi aliorum obſequi voluntati maluit quam ſuæ, & privatæ quieti Reipublicæ commoda antepoſuit; fecit ille quidem quod erat optimi ac laudatiſſimi Principis; ſed quod fortaſſe nonnulli (ut imperita eſt hominum multitudo,) non admodum admirentur. Verum quod oblatam poteſtatem nonniſi Populorum precibus exoratus acceperit; Quod Sapientum ſuper eo negotio conſilium exquiſierit; quod Regii Principis Ferdinandi liberrimam conſenſionem accedere voluerit;

Quod

Quod demum non ante acquieverit, quam hujus Apoſtolicæ Sedis Auctoritate ad Solium quodammodo reduceretur; Id enim vero, quantum ego arbitror, tantum eſt, ut non minorem in repetendo Regno laudem, quam antea in dimittendo conſecutus videatur.

Duos fuiſſe legimus (juvat enim ex ipſis aliorum vitiis lucem huic tantæ virtuti quærere: Et mirari ſubeſt, in ſumma rerum ſimilitudine quantum interſit, quo res quæque propoſito, quove animo fiat) duos, inquam, fuiſſe legimus retroactis temporibus Imperatores, Orientis alterum, alterum Occidentis, Maximianum, & Diocletianum, qui eodem prope tempore de abdicando Imperio conſentientes, ampliſſimæ Dignitatis inſignia cum privatæ vitæ ſecuritate, & commodis commutarunt, ſeſeque ultro in ordinem redegerunt. Verum Hic haud multo poſt ignobilis, & privatæ vitæ pertæſus, reſpectare Solium denuo; donec poteſtatem malo conſilio dimiſſam pejori molitione repetere auſus eſt, non cædibus, non rapinis, non innocentium ſanguine abſtinens, ſibi ut rurſus viam ad capeſsendam Rempublicam aperiret. Ille contra deſidia vecors, & vitiorum veterno oppreſsus, ut multum orarent Populi, ac manus tenderent, ſeque illi, ac ſuos liberos, & ſalutem publicam commendarent, nunquam induxit animum, ut emergere e turpi otio, & ad labores Imperii regredi vellet. Sic illi ſcilicet, quibus in priori deliberatione non virtus ulla, non reli-

religio ; ſed vel inanis gloriæ ſtudium ; vel ſocordia, præiverat : Ut minime mirum ſit, qui Sceptrum ambitioſe projecerat, eum ambitioſius recipere conatum eſse: qui vero per ignaviam, & ſola regnandi ſatietate fecerat, factum emendare cum poſset, & omnino deberet, pertinaciter noluiſse. Multum horum Tu diſſimilis, PHILIPPE Rex glorioſiſſime. Sola Te a Regno diſtraxit Pietas, ſola ad Regnum retraxit; Eadem privatæ, & tranquillæ vitæ hortatrix, Eadem laborioſæ, ac publicæ, ut privatæ, publicæque rationes poſtulare videbantur. Fuit id præſtantiſſimæ, divinæque virtutis tuæ, & Imperium abdicare cum licuit, & repetere cum oportuit, & in utroque vitæ inſtituto, Deo, Tibi, Reipublicæ ex æquo ſatisfacere. Fruere nunc iſta tam excellenti laude, cujus ſocium habes fortaſse neminem, cujus memoriam tota poſteritas alet, ac nulla unquam obliterabit oblivio.

Qua deinde integritatis, & Sapientiæ fama PHILIPPUS, quam ſecunda bonorum omnium approbatione, Regnum ita receptum reliquo vitæ tempore retinuerit, non Te latet, Beatissime Pater; nec eſt ut ego Te longiori rerum notiſſimarum narratione detineam. Ita plane regnavit uſque ad extremum, ut Eum decuit, quem ad tantum honoris, & potentiæ faſtigium, non caſus, non ambitio, non hominum incerta judicia, ſed mira quædam, & non obſcura Numinis Providentia provexerat. Dei nutu Hiſpaniarum

Rex

Rex conſtitutus , conſilia ſua omnia ad Deum retulit: quibuſque artibus Regnum ab ipſa adoleſcentia promeruerat , iiſdem perpetuo geſſit . Ut ſi pulchrum illi , glorioſumque fuit eligi ad tantam præfecturam a Deo , pulchrius multo , glorioſiuſque ſit , divinæ electioni , quantum homini fas eſt , reſpondiſse , eamque vita præclariſſime acta quodammodo commendaſse.

Quis jam talem Regem ac tantum non diutiſſime cuperet ſoſpitem ac ſalvum eſse ? Quis tam repentino ereptum interitu non vehementer doleat ? Cujus doloris ſi partem aliquam Catholicæ quæque Gentes, ut in communi damno, capere debent , ſi præcipuam Hiſpani ſibi , nec immerito , ſumunt ; quo tandem animo eſse oportet hanc Urbem Religionis Sedem , ad quam omnia Eccleſiæ vulnera ſingulari quodam, ac proprio jure pertinent. De Te quidem , Beatissime Pater , nihil dubito , quin hujus mœrorem funeris acerbiſſime feras . Namque ut omittam jacturam multo graviſſimam in Principe ſumme pio , & vero catholico factam ; probe noſti, quo Ille animo erga Te eſset , quam addicto , quam benevolo , quam in rebus omnibus obſequenti . Nec vero pauca hujus rei , aut obſcura indicia habuiſti . Atque ubi cætera deeſſent , illud certe luculentiſſimum , quod haud ita pridem Filium ejus amantiſſimum Carolum Neapolitanum Regem ad tuos pedes accidentem vidiſti, & egregiæ voluntatis ſenſa verbis officioſiſſimis expromentem

mentem audiviſti. Quæ tunc jucunditas animi Tui! Quis gaudii ſenſus, erumpentibus interdum lachrymis explicatus, cum Regem virtute ſua ſpectatiſſimum, in Eoque paternæ virtutis vivam, & ſpirantem imaginem amplexareris!

Sed profecto omnes quotquot in hoc loco verſamur, afficere debet PHILIPPI Regis obitus, omnibus doloris juſtam exhibet cauſam, nec ſane levem. Nam quis illo erga hanc Aulam Sacerdotalem & Regiam, aut amicior unquam, aut obſervantior? Quam honorifice de ampliſſimo Cardinalium Ordine ille ſentiret, vel inde ſatis, opinor, exiſtimare poſſumus, quod unum è ſuis Liberis magnæ ſpei adoleſcentem, inter Eos cooptandum, & Eminentiſſimæ Dignitatis inſignibus exornandum curaverit. An vero eſt veſtrum quiſquam, qui non memoria retineat illud PHILIPPO Regi præclarum, nobis jucundiſſimum tempus, cum ſoluta Septæ obſidione, cæſo, profligatoque Maurorum potentiſſimo Exercitu, non modo Victoriæ nuncium, ſed & erepta Barbaris Signa in hanc Urbem tranſmiſit? Vidimus tunc Inſignia illa barbarica Pontificiis pedibus advoluta, & nunc etiam ſuſpenſa in Æde Virginis, quam a Victoria nominant, intuemur: Trophea ſplendida, non tam Victoriæ, quam Pietatis, nec tam bellicæ Virtutis, quam benevolentiæ erga Nos, erga Romanos Pontifices obſervantiæ publica monumenta; Et meminiſti, credo, Beatissime Pater, qua tunc verborum gravitate magnus

gnus ille Pontifex Clemens XI. ad Cardinales diſſeruerit, quibuſque laudibus PHILIPPI V. Virtutem, Fidem, Religionem, & immortalia erga Sedem Apoſtolicam merita exornaverit.

Si ergo Principem, non modo Religioſum, & ſumme pium, ſed amicum præterea, & rebus noſtris apprime addictum amiſimus, erumpat aliquando incluſus ſinu juſtiſſimus dolor, quem in tanto bonorum omnium luctu, in tanto Religionis, ac noſtro damno nefas comprimere. Sed ne ſterile ſit lacrymarum officium, addantur Chriſtiano ritu piacula, Illi fortaſſe non neceſſaria, ſed tamen debita. Quod ſi lenimentum aliquod graviſſimæ acerbitati adhibendum eſt, reflectamus tantiſper oculos à Parente optimo, ad optimum Filium, qualemque Ille poſt ſe Regem reliquerit, quam pium, quam ſplendidum, quam ſibi ſimilem, conſideremus. Nec enim extinctus omnino videri debeat PHILIPPUS, ſuperſtite FERDINANDO; nec certe elatæ cum Illo ſunt Ejus virtutes eximiæ, quas florentes adhuc, & in eodem Solio, ad Hiſpaniarum felicitatem, ad Religionis præſidium, ad commune ſolatium humani generis, conſtitutas videmus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VIT. EMANUELE

IMPRIMATVR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Archiep. Tarſen. Viceſg.

IMPRIMATVR.

F. Aloyſius Nicolaus Ridolfi Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter Ordinis Prædicatorum.

Digitized by Google